





34  
A. O.  
1707, 15  
20  
DISSERTATIO MORALIS

DE

FVNDAMENTÖ LE-  
GVM NATVRALIVM  
CONTRA MATAELOGIAM  
EVRIPIDIS

IN ACADEMIA IENENSI  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPE ET DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXON. IVL. CLIV. MONT.

ANGR. ET GVESTPHAL.

ET RELIQA

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

BENEVOLO INDVLTV

AD D. APRIL. CIO IOCC VII.

ERVVDITORVM EXAMINI SVBMISSA

A PRAESIDE

M. CHRISTIANO LOEBERO

ET RESPONDENTE

IO. AVGVST. SIEDELIO


DOEBLENSI MISNICO. S. TH. STVD.

IENAE

LIT. VVERTHERIANIS.

DISSERTATIO MORALIS  
DE  
FUNDAMENTO LE  
GUM NATURALIUM  
CONTRA METAPHYSICAM  
EMPIRICAM  
IN ACADEMIA LEIPSI  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
HENRICO WILHELMO  
DOMINO  
GUILIELMO HENRICO  
DUCE SAXONIVM CIVI MONT  
ANNO 1707  
MAGISTRUM THEOPHILUM GORDANUM  
RECTOREM INDULTUM  
HAB. ANNO 1707  
ERUDITIONI EXAMINATA  
A PARSIDE  
M. CHRISTIANO LOEBBERO  
LEIPSI  
1707





A Ω.

## CAP. I.

§. I.



Vo minus vlla vitæ pars, siue publicis, siue forensibus, siue domesticis in rebus, siue si tecum agas, siue si cum altero contrahas, vacare potest officiis: eo magis adiuuantur res humanæ, diligenti iuris nobiscum nati peruestigatione, quæ fundamentum, principia, et causas legum naturalium exquirat. Neque aut inutilis, aut iniucundus labor est, etiam veterum gentilium placita moralia rimari, quod in iis modo scintillarum imaginis diuinæ in homine residuarum vestigia, modo antiquæ et inde a maioribus traditæ veritatis monumenta, modo etiam vanitatis et stultitiæ humanæ argumenta veniunt notanda.

Nuper igitur a disciplina SOCRATIS, qui primus in Græcia philosophiam moralem docuisse perhibetur, exordium cepimus, et secundum ipsius disciplinam naturale ius, auctoritate diuina deriuatum, ad NVMINIS gloriam referendum esse commonstrauimus. Sed iam sese nobis offert, vanum doctrinæ genus, quod dramate quodam edisseruit EVRIPIDES, Poeta tragicus, natu quidem,

A 2

maior

maior SOCRATE *b*, cui undecim annos nascendo antea-  
uerterat, *c* hujus tamen in doctrina morali auditor. *d*

*a* Cic. lib. V. Tuscul. quæst. cap. IIII. Diog. Laert. de vitis phi-  
lof. lib. I. proœm. & lib. II. Sect. V. *b* Gell. noct. attic.  
lib. XVII. cap. XXI. *c*, nascitur enim Socrates anno IIII.  
Olymp. LXXVII. vid. Diog. Laert. lib. II. Sect. V. Euripi-  
des vero anno I. Olymp. LXXV. Diog. Laert. ibid. *d* Sui-  
das in Euripide Gell. noct. Attic. lib. XV. c. XX. Moscop. in  
vita Euripidis, vid. edit. Euripid. Bas. 1551. in fine.

§. II. Refert enim PLVTARCHVS *a* qui frag-  
mentum fabulæ seruaui, EVRIPIDIS esse sequentia: *Vi-*  
*tam hominis olim inconditam fuisse, ad belluarum instar, et*  
*violentam: deinde latis legibus repressam esse vim et iniu-*  
*stitiam: et tandem quum multi multa crimina clam designa-*  
*sent, callidum quendam virum tradidisse, quod DEVS sit,*  
*uiuens et perennans, qui hec cernat omnia, audiat atque*  
*intelligat.* Addit PLVTARCHVS: EVRIPIDEM hanc su-  
am sententiam palam profiteri noluisse: metuiffe enim  
ab areopago periculum: igitur induxisse SISYPHYM, hæc  
talia proferentem, eiusque Patronum se præstitisse.

*a* Plutarch. de placit. Philos. lib. I. cap. VII.

§. III. Animus est, hanc orationis vanitatem exami-  
nare breuiter. et primo quidem notamus, hoc argumen-  
tum in superstibus XX. tragœdiis EVRIPIDIS, quarum  
XVIII. *Electram*, Petrus VICTORIVS ab interitu vindi-  
cauit, *a*, XX. vero *Danaen*, COMMELINVS edidit, *b*, non  
reperiri, nec enim aut integrum drama superest, quod  
*Sisyphus* inscriptum sit, aut inter fabularum personas no-  
men hoc comparet: vt itaque deperditis annumerari de-  
beat. scripsit autem EVRIPIDES plures tragœdias, qua-  
rum ab nonnullis LXXV. *c*, ab aliis LXXXII, *d*, nume-  
rantur:

rantur: atque SVIDAE tempore LXXVII, superasse dicuntur. *e.* Vnde Iosua BARNES, qui EVRIPIDIS quæ extant, omnia, edidit, fabularum LXI. fragmenta in tomum II. collegit, adiecto etiam *Sisypho*.

*a* Vid. eius epistol. ad Cardinal. Nicol. Ardinghellum, edit. Eurip. Basil. 1551. annexam. *b*, vid. act. erudit. Lipsi. 1695. mens. Aug. p. 356. *c* Gell. noct. attic. lib. XVII. c. IIII. Moscop. in vita Euripidis loco allegato. *d*, idem Moscop. ibid. Thom. Magist. in vita Euripid. in fine, Suid. in Euripid. *e*, id. Suid. ibid. *f* edit. 1694. Cantabrigiæ.

§. IIII. Deinde, ex animi sententia hæc posuerit EVRIPIDES, an vero, quod Poetis fere solemne est, hoc vaniloquium tantum in scena enunciandum confinxerit, dubitares. Et ipsius quidem causam dicere videtur magna sapientiæ laus, qua floruit Poeta *ῥεαγινώτατος*. *a.* cuius rei testes, si vel solos SOCRATES, *b*, CICERONES, *c*, PLUTARCHOS, *d*, laudamus, forte sat erit. sed et hodiernum hoc nomine ipsius scripta commendantur: id quod diuinauit Valerius MAXIMVS, qui referens de ALCESTIDE, quod eius fœcundi cursus scripta, intra primas memoriæ metas corruerint, addit de EVRIPIDE: *hujus cunctante stilo elucrubatum opus per omne æui tempus, plenis gloriæ velis feretur.* Nec tamen ea propter suspitione nostra exfoluitur.

*a*, quem vocat Aristotel. libr. de arte poet. cap. XIII. *b* Aelian. Hist. var. lib. II. c. XIII. *c*, lib. de gloria Atheniens. edit. Basil. 1570. p. 546. *d*. Epist. famil. lib. XVIII. epist. VIII. *e*, lib. III. c. VI. edit. Lipsii 1647, p. 139.

§. V. Ita enim priscis illis temporibus multorum admodum ferebat opinio, *a*, vt humiles eiusmodi et sordidos natales assignarent iustitiæ et legibus. atque quod speciatim ad EVRIPIDEM adinet, apte inter se cohærent vanilo-

loquium illud, et ipſus de prima generis humani origine falſa, abſurda, ac item ab aliis deſenſa opinio, quam infra *b* recenſemus. Præterea ipſe neglecta, metu periculi, philoſophiæ profeſſione, animum ad ſcribendas tragædias adiecerat, nam uſus erat præceptore in phyſicis ANAXAGORA, *c*, qui ob ſparſam in publicum doctrinam, qua ſolem ſub variis *deorum* nominibus cultum, *d*, tantummodo *μυδρον διάπυρον*, laminam, ſeu vt VOSSIVS *e* vertit, maſſam candentem et ignitam eſſe, aſſeruerat, in diſcrimen veniebat, et impietatis a CLEONE accuſatus, quanquam a diſcipulo PERICLE deſenſus, quiaque mulctabatur talentis, exilioque damnabatur: *f*; hinc ipſe relictæ ſchola, poetarum captabat libertatem, *g*, quibus  
*quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas:*  
 vnde eo magis credimus PLVTARCHO *b*, cum, quod eiuſmodi vanitatem habuerit in animo, tum, quod ob pœnæ formidinem hanc ſuam ſententiam aperte profiteri noluerit.

*a*, vid. infra cap. III. *b*. Cap. II. §. III. *c*. Gell. noct. attic. Lib. XV. c. XX. Moſcop. loc. alleg. *d*, vid. Plutarch. aduerſus Colotem edit. Baſil. 1542. p. 823. et Gerhard Ioan. Voſſ. de origin. & progreſſ. idolol. lib. II. cap. XII. XIII. XIII. XV. XVI. *e*, Tractatu allegat. lib. I. c. I. *f*, vti quidem ex Socionis ſucceſſione philoſophorum refert Diog. Laert. lib. II. ſect. III. *g*, Suid. in Euripid. & Moſcop. loc. alleg. *b*. loc. §. II. allegat.

§. VI. Ceterum, quoniam hanc tractationem ab eo tempore repetere inſtituimus, quo olim in Græcia moralis philoſophia tradi cœpit, neque aliquem reperire hæcenus potuimus, qui ante EVRIPIDEM illam matæologiam ſcriptis conſignafſet, ideo poſt SOCRATEM, cuius diſciplinam nuper laudauimus, EVRIPIDEM nunc indu-



ducimus, et spurcam originem, lubricum fundamentum  
 impiamque propagationem istius matæologiae ante mon-  
 stramus, quam ipsam detegamus vanitatem.

§. VII. Duo autem sunt, ad quæ potissimum re-  
 dit origo et fundamentum illius dogmatis: quorum pri-  
 mum est doctrina de origine, quam initio habuerint ho-  
 mines: alterum vero, impius circa existentiam et prou-  
 dentiam DIVINI NVMINIS, error: sed sigillatim nunc  
 de utroque.

CAP. II.

§. I.

Qvod igitur primo ad veterum gentilium placita,  
 de prima humani generis origine, adinet, distin-  
 guenda statim est mythologia a dogmatibus. Et de  
 mythologia quidem notum est, quid de PROMETHEO  
 et DEVCALIONE, finxerint. nimirum, PROMOTHEVM,  
 IAPETI vnus ex *Titanibus*, qui prima terræ progenies fu-  
 erint, a, filium, sub initium fecisse ex limo hominem, i-  
 gneque a *Iove* subtracto, eundem ex cælo ad huius operis  
 indigentiam suffuratum esse: b quod dubie refert OVIDI-  
 VS, c, canens:

*Natus homo est, sine hunc diuino semine fecit  
 Ille opifex rerum, mundi melioris origo,  
 Sine recens tellus, seductaque nuper ab alto  
 AEtHERE cognati retinebat semina cæli,  
 quam satus Iapeto mistam fluuijalibus vndis  
 finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.*

quanquam de materia, ex qua formatus fuerit homo, non  
 consentiunt Poetæ, quam ex particulis vndique conge-  
 stis constituisse HORATIVS d nugatur, in verbis:

Fer-

Fertur Promœtheus addere principi  
limo coactus particulam undique  
defectam.

deinde iussu Iouis a Vulcano factam esse ex luto foeminam,  
quæ astutissima et omnibus artibus a Diis donata, Pando-  
ra vocata, variorumque malorum origo, ad humani ge-  
neris propagationem data sit. *e.* Postea vero exorta om-  
nimoda terrarum inundatione, seruatum esse in qua-  
dam arca DEVCALIONEM, PROMETHEI filium, cum  
coniuge PYRRHA, et tandem ariditate terræ reddita, ge-  
nus humanum hac ratione reparasse, vt et ipse et vxor ve-  
latis capitibus lapides post se iecerint: sic enim ex lapi-  
dibus homines, et quidem ex iactis a viro, viros, ex iis  
vero, quos foemina iactasset, foeminas factos esse. *f.* ceu  
habet OVIDIVS: *g.*

*Saxa, quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?  
ponere duritiem capere, suumque rigorem,  
molliri que mora, mollitaque ducere formam.*

*a* Virgil, lib. VI. Aeneidos. v. 575.

*Hic genus antiquum terræ, Titania pubes.*

*b* Hesiod, in Theog. v. 562. & seqq. Horat. Carm. lib. I. Od.  
III. v. 27. 28. *c* lib. I. metamorph. v. 78. seqq. *d* Carm. lib. I.  
Od. XVI. v. 13. seqq. *e* Hesiod, in Theog. v. 570. seqq.  
vid. prolix. Franciscus Baco de Verulam. de sapientia  
veterum cap. XVI. Natal. Com. mythol. lib. III. cap. VI.  
*f.* Ouidius lib. I. metamorph. v. 340. seqq. *g.* ibid. v.  
392. seqq.

§. II. Verum instituti nostri ratio non fert, vt ver-  
ba hic faciamus de sensu, sub his fabularum inuolucris  
latente: in quibus alii argumenta moralia, ciuilia, natu-  
ralia, *a,* alii secretiora physices dogmata, et mysteria al-  
chymica se inuenisse putarunt, Poetarumque de transfor-  
matio-

matione corporum ludos, ad fornacis experimenta traxerunt. *b.* atque haut difficulter in iis passim deprehenduntur vestigia antiquæ et diuinæ veritatis, quam variis mendaciis contaminatam gentiles posteris suis tradiderunt. *c.* Sed pergimus a Poetarum fabulis ad Philosophorum dogmata de ortu generis humani.

*a.* Vid. Natal. Comit. mytholog. præsertim lib. I. cap. II. Franciscus Baco de Verulam de sapientia Veterum, inprimis in præfat. et alii, quos longo ordine recensere nolumus. *b.* de quibus Baco in alleg. præfat. et sat. fufè Dan. Georg. Morhof. Polyhist. literar. lib. I. c. X. de libris mysticis et secretis, et cap. XI. de libris physicis secretioribus, præcipue chemicis. *c.* notum est, in antiquæ veritatis rudibus exinde eruendis, multum operæ posuisse Gerhard. Ioann. Vossium in Comment. de origine et progressu idololatriæ, Samuelem Bochartum in Phaleg et Canaan, Petrum Danielem Huettium in demonstr. euangel. et alios, quibus etiam annumerandus Ioan. Guilielm. Zierold in tractatu quem inscripsit: Einleitung zur gründl. Kirchen-Historie/verknüpft mit der historia philosophica, in quo etiam hanc adtingit materiam, præsertim pag. 166. seqq.

§. III. Obseruamus autem, complures antiquos Philosophos cæca ac stupida coniectura ductos, in hoc doctrinæ genere, falsa, partim etiam fœda tradidisse. ita enim mens humana sibi relicta, sibi que satis sapiens visa, præceps in errores ruit, et immania opinionum monstra parit facillime. Sed vniuerse inter falsas istas sententias hoc maxime interest, quod alii humanum genus ab æterno extitisse, alii ortum quidem aliquando, sed naturali elementorum virtute ita ferente, natum esse crediderunt. Illorum qui genus humanum putarunt æternum,

B

nugas

nugas ita recenset CENSORINVS, *a*: *omnium, quae in sempiterno isto mundo semper fuerint, futuraeque sint, principium fuisse nullum: sed orbem esse quendam generantium, nascentiumque, in quo vnus cuiusque generis initium simul et finis esse videatur.* et hæc sententia præter alios tribuitur PYTHAGORAE, ab ipso CENSORINO *b*, et VARRONE, *c*, PLATONI a CENSORINO *d* et ARISTOTELI, a VARRONE *e*, CENSORINO *f* LACTANTIO. *g*. neque videmus, quomodo satis defendi possit a Ioanne ZEISOLDO, *b*, aliisque ARISTOTELES *i*, quod tamen singulari referuamus disquisitioni. Hi vero, qui originem humanam virtute elementorum naturali deriuare voluerunt, in diuersas itidem abierunt partes. in eo autem conuenire plurimi, quod homines primum ex terra natos esse, autmarent. Subtilis erat LEVCIPPI, eiusque discipuli DEMOCRITI Abderitæ, et qui hunc sequebatur, EPICVRI hypothesis, de atomis, primis rerum principiis, *k*, sed ad totius systematis mundani ortum potissimum spectabat: quanquam hunc SENECA eludit his verbis: *l*: *Te atomi et ista mica tua forte ac temere conglobauerunt.* Sed ipsos ortum hominis proxime ad fertilitatem terræ retulisse, CENSORINVS pro teste est: *m*: *DEMOCRITO vero Abderita, ex aqua limoque, primum visum est homines procreatos. nec longe secus EPICVRVS.* Et hanc opinionem, iam antea fouebat noster EVRIPIDES, de quo VITRUVIVS *n* narrat: *quod aera et terram, eamque ex caelestium imbrum conceptionibus inseminatam, fetus gentium procreasse, putauerit.*

*a*, de die natali Cap. III. edit. Lugdun. Bat. 1642. p. 26.

*b* loc. iam alleg. *c*, lib. II. de re rustica, cap. I. verba eius sunt: *sive principium horum, nempe animalium et sigillatim*

tim hominum, exiit nullum, vt credidit Pythagoras Sa-  
 mius, et Aristoteles Stagiritis. *d*, loc. alleg. *e*, loc. alleg.  
*f*, loc. alleg. *g*, diuinarum instit. lib. II de origine erroris,  
 cap. X. in verbis: *Aristoteles labore se et molestia liberauit,*  
*dicens, semper mundum fuisse, itaque et humanum genus*  
*et cetera que in eo sunt, initium non habere, sed fuisse sem-*  
*per, ac semper fore.* *h*, Tractat. de Aristot. consens. cum  
 Scriptur. Sacr. disput. VII. integra. *i*, conferatur saltem,  
 Lib. II. de anima, cap. III. tit. 49. *k*, quam vide apud  
 Laertium lib. VIII. sect. VI. in vita Leucippi, sub initium.  
*l*, Lib. III. de beneficiis cap. XVIII. *m*, loco supra allegat.  
*n*, Lib. de Architectura, in prefat. ad Lib. VIII. edit. Amste-  
 lod. 1649. p. 150.

§. IIII, Ad hanc hypothesin etiam spectant verba.

OVIDII a:

*Natus homo est*

*sue recens tellus, seductaque nuper ab alto*  
*Aethere cognati retinebat semina caeli*

Quin imo, eo vsque audaciae progrediebantur caeci, vt  
 etiam modum assignare auderent, quo ex foecunda terra  
 primum nati sint mortales. quasi nimirum ex radicibus  
 terrae certi vteri surrexerint, ex quibus prodierint infan-  
 tes, deinde humore quodam lactis simili nutriti: LV-  
 CRETIVS hoc figmentum ita canit: *b*:

*Multus enim calor, atque humor superabat in aruis:*  
*Hinc vbi quaque loci regio opportuna dabatur,*  
*crescebant vteri, terra radicibus apti:*  
*quos vbi tempore maturo patefecerat atas*  
*infantum, sugens humorem, aurasque petissens*  
*conuertebat ibi natura foramina terra*  
*et succum venis cogebat fundere apertis*  
*consimilem lactis.*

B 2

et

et LACTANTIVS c his verbis exponit: *terram nouam semen genitale retinentem, folliculos ex se quosdam in vicrorum similitudinem protulisse.*

a, lib. I. metamorph. vers. 80. 81. b, de rerum natura. lib. V. vers. 806. seqq. c, diuinarum institutionum lib. II. cap. XI.

§. V. An huc etiam pertineat vocabulum *αὐτόχθων* dubium. *αὐτόχθονες* vocabantur Græci, et sigillatim ARCADES, AENIGETAE et ATHENIENSES. a. quod multi interpretantur *Terrigenas* seu ex terra natos. Sed varius et ambiguus vocis vsus incertat animum. dicuntur autem gentes, vt est apud SVIDAM b, *αὐτόχθονες*, ob duplicem potissimum causam: nempe quod aut terram antea incultam primi coluerint, aut in regione quadam non aduenæ sint, sed indigenæ: prout ATHENIENSES a ΠΛΥΤΑΡΧΟ vocantur *λεῶς ἐν ἐπακτῷ ἄλλοθεν*, *populus non aliunde aduena*, c, et apud LVCIANVM, d, *αὐτόχθονες ἀνδρες, πόλιν ταύτην ἀρχαιοτάτην τοσούτοις ἤδη χρόνοις κατοικήσαντες, homines indigena, qui urbem hanc antiquissimam tanto iam tempore incoluerunt.* Sed neutra significatio huc facit. Non tamen prorsus negauerim, veteres Græcos nonnunquam hac voce primam certarum gentium originem describere voluisse, quasi nimirum ex illa ipsa terra, quam incolerent prognatæ essent. CENSORINVS denuo allegandus est, cuius sunt hæc verba: e: *Vulgo creditum est, quarundam gentium principes terrigenas esse, vt in Attica, et Arcadia, Thessaliaque, eosque Autochthonas vocari.* Vnde etiam ARCADES *βαλανηΦάγοι* glandinori appellati sunt: f: credebantur enim primi homines, cum ex terra profluissent, glandibus potissimum se sustentasse: ceu LVCRETIVS canit: g:

Glan-

Glandiferas inter curabant corpora quercus  
plerumque.

Pone

et HORATIVI: b:

quum prorepfiffent primis animalia terris  
mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter  
vnguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro  
Pugnabant armis.

quemadmodum ATHENIENSES τεττιροφόγοι cicadiferi  
dicti sunt, i, utpote aureis cicadis in capillorum nexu vfi,  
tanquam indicio, quod ex terra originem traxerint, non se-  
cus ac cicadæ. has enim nouerant ex terra sæpiffime na-  
fci: k: feilicet ex fẽmine in terram delapfo. l. nifi forte ci-  
cadæ ipfis fymbolum muficẽs fuerunt, m, fiquidem ob e-  
arum cantum, n, Poetæ non raro cicadæ appellaban-  
tur. o.

a, Suid in voce ἀυτόχθων. b ibid. c, lib. περὶ Φυγῆς  
edit. Bafil. 1542. p. 535. d, de gymnafis, edit Salm. 1619.  
Tom. II. p. 399. e, loc fupra alleg. f, Plutarch. in vita  
Marci Gaii, edit, Bafil. 1553. fol. 73. g, de natura rerum  
lib. V. verf. 939. h Sermon. lib. I. Satyr. III. verf. 99. feqq.  
i vid. ex Thucydide et Aristophan. Suid. in voce τεττιρο-  
φόγοι. k Lucret. de natura rerum lib. V. verf. 803.  
l vid. Aristot. hift. animal. lib. V. cap. XXX. et Plato  
in Sympof. edit. Bafil. 1556. p. 183. m, Vid. Suid. loc. cit.  
n Aristot. loc. alleg. o, vid. Voffius lib. IIII. inftit. Orat.  
p. 107.

§. VI. Satis de hoc deliramento, quod mataeologia  
de fundamento legum naturalium, quam nobis iam tra-  
ctandam fumimus, prima quasi origo et fundamentum  
fuit. Sed paucis etiam adtingendum est alterum illud ar-  
gumentum, cum priori hoc coniunctum: quid nempe  
cæca illa gentilium turba de exiftentia et prouidentia  
NVMINIS DIVINI ftatuert?

CAP.

§. I.

**A**Theismum *contemplativum* dispeſcunt auctores in *directum* et *indirectum*: quorum ille hanc enunciationem, *non est DEVS*, ſibi, aut aliis etiam perſuadere conetur, hic vero, etſi verbis afferat, eſſe DEVM, tamen alia dogmata admittat et ſtatuminet, ex quibus pateat neceſſario conſequi, quod non exiſtere poſſit *NUMEN DIVINVM*. Cuius quidem diſtinguendi modi antiquitas, vel ex CICERONE *a* iam dum nota. Hinc grauis quaerſtio, an vnquam fuerint aut eſſe poſſint homines, atheiſmo contemplatiuo directo addicti? vbi hoc quidem: quod quisquam ex interiori animi ſententia ſecurus acquieſcere poſſit in falſiſſima opinione, *quod DEVS non ſit*, aſſerere non poſſumus: ceterum vtique credimus, quod eiusmodi homines eſſe poſſint, qui ſibi alijsue iſtam horrendam enunciationem perſuadere, malitioſe, *ſaltim ad tempus*, audeant. cuius nempe impietatis deteſtandum exemplum hæc ipſa Ieneniſis academia anno MDCC LXXIII. in Matthia KNVTZEN habuit, *b*.

*a* lib. I. de nat. Deorum in fine. *b*, legatur Ioan. Muſæi *Ableinung wieder die vermeinte Geviſſener Secte/1675.* in 4. cui annexa ſunt ſcripta iſtius nebuloniſ.

§. II. Quod ſi nunc igitur de veterum Philoſophorum gentilium placitis quaritur, reperiuntur omnino, qui exiſtentiam diuinam negaſſe perhibentur, idque partim directe, partim indirecte: et directe quidem, licet non aperte, EVRIPIDES noſter negaſſe dicitur, *a*, cui DIAGORAS Melius, THEODORVS Cyreneus, EVEMERVS Tegeata *b* iunguntur, et alii. indirecte vero negarunt non pauci,



pauci, praesertim qui *non dari providentiam divinam* asseruerunt. Equidem quod ad illos adtinet, qui DEVM directe negarunt, nil fere facilius accidebat Philosophis gentilibus, quam ut atheismi incusarentur, quod crimen *αθεΐστικα, καὶ ἑσχάτη*, vocabatur: sicubi enim absurdas de diis fabulas reiicerent, plerumque impietatis arguebantur. quod exemplo ANAXAGORAE c. SOCRATIS d. aliorumque, quin imo exemplo CHRISTIANORVM patet, qui ab ethnicis dicebantur *αθεῖ. ε.* vnde Gerhard Ioan VOSSIVS f. maluit credere, istos etiam Philosophos, quos memorauimus, ideo atheos dictos esse, quod deos gentiliū negauerint. Verum impiæ hypothesen, quas plerique simul foverunt, facile probant, ipsos existentiam *DI-VINI NVMINIS* negasse, sibi que aliis hunc impium errorem persuadere voluisse. Sic enim EVRIPIDIS *metaeologia* de *instituta et origine legum*, vanamque de *origine generis humani* opinionem, supra, g. retulimus. sic de THEODORO tradunt, quod opinionibus de diis penitus antiquatis, statuerit, sapientem furto, adulterio, sacrilegioque se dediturum ex vsu temporis: horum etenim, nihil natura turpe esse, si tollatur popularis opinio, ad continendum in officio vulgus recepta. *b.* sic de aliis quoque plura addi possent.

*a* Plutarch. de placit. philosoph. lib. I. cap. VII. *b* id. ibid. item de Theodoro, Hesychius Illustr. edit. Jun. 1572. p. 28. *c* Diog. Laert. lib. II. sect. III. *d*, vid. Plat. integra apologia Socratis, it. Xenophontis apologia Socrat. nec non eiusdem memorabil. lib. I, ab initio. *e*, vid. Gerhard, Ioan Vossius de origine et progressu idolol. lib. I. c. I. edit. Franc. 1675. p. f. Ioan Schefferi et Ioachimi Kuhnii commentar. ad Aelian. histor. var. libr. II. cap. XXXI. nec non Christ. Kortholt. tractat. de calumniis paganorum in veter-

veteres Christianos, cap. VIII. *f* loc. sub lit. *e* allegat.  
*g*, cap. I. §. II. et cap. II. §. III. *b* Hesychius illustr. loc.  
 sub lit. *a* allegat.

§. III. Porro, eorum, qui indirecte et vi consequentia, DIVINI NVMINIS existentiam negarunt, numerus fuit facile maior, quorum iam eos tantum adtingamus, qui providentia diuina veritatem oppugnarunt. quam enim naturali lumini vsque adeo non poterant obduci nebula humana cecitatis, vt providentiam NVMINIS DIVINI agnoscere non possent mortales, vnde tot praclata apud Philosophos veteres testimonia: eo tamen dementia abripiebantur non pauci, vt DEVM curam rerum mundanarum gerere, irent inficias. Vnus instar omnium nominandus est, cuius mentio facit ad institutum nostrum, EPICVRVS. Hunc enim negasse *providentiam diuinam*, ex PLVTARCHO *a* AELIANO *b* LVCIANO *c* CICERONE *d* aliisque constat: vnde etiam indirecte existentiam NVMINIS DIVINI negasse CICERONI dicitur. *e*. Equidem ex epistola EPICVRI ad MOENICOEVM, quam LAERTIVS *f* seruauit, aliud quid colligeres, vbi asserit: *detrimenta maxima a diis inferri pessimis quibusque, commoda item probis*: et reliqua. hinc Iacobus RONDELLVS, *g*, EPICVRVM in naturalibus quidem, providentiam diuinam negasse, falsus est, in moralibus vero non item. Verum ex collatione ceterorum ipsius dogmatum, praesertim metaphysicorum de *fundamento iuris et iustitiae*, quam cum EVRIPIDE communem habuit, quamque cap. sequ. recensemus, nec non vanae opinionis de *origine humana*, cap. praeced. commemoratae, facile patet id, quod POSIDONIVS de ipso iudicauit, *i*, *ipsum quae de diis immortalibus dicitur*.

*dixerit, tantum invidia detestanda gratia dixisse.* quam id ab EPICURO non tam versute, quam ex necessaria consequentia, post assumptam falsam opinionem, quod in DEVM nullo modo cadat ira, dictum esse, docet LACTANTIUS. k.

a lib. aduersus Colotem edit. Basl. Froben. p. 807. b Histor. var. lib. II. cap. XXXI. c, in tract. bis accusat. cedit. Salmur. 1619. p. 307. et p. 327. d, lib. I. de natura deorum in fine. e, ibid. in verbis: *sinxit Deum nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem.* Que natura primum nulla esse potest: idque videns Epicurus, re tollit, oratione relinquit Deos. f de Sectis Philosoph. lib. X. g lib. de vita et moribus Epicuri edit. Amstel. 1693. 12. i ap. Cicer. Lib. I. de natur. deor. in fine. k lib. de ira Dei cap. III.

§. III. Sed e diuerticulo in viam redeundum, atque commonstrandum est, quomodo ex istis falsis opinionibus fluxerit metaologia de legibus naturalibus, quæ argumentum est huius dissertationis.

### CAP. III.

#### §. I.

**T**Ria quasi fulcra sunt, in quibus, tanquam fundamento innituntur leges lætæ: *auctoritas*, qua Legislaton pollet, *scopus*, ad quem ille animum intendit, et *promulgatio*, qua voluntas ipsius innotescit. hinc inter Philosophos veteres reperimus, qui ut de fundamenti vobulo neque quæstionem posuerint, neque controuersias cum aliis disceptarint, nihilotamen minus, in tradendis officiis humanis, legibusque naturalibus exponendis, ab auctoritate, promulgatione et scopo *DIVINI NVMINIS*, argumenta sua probandique vim sumserunt. inter quos

C

præci-

præcipuò quodam iure eminere nobis videtur SOCRA-  
TES.

§. II. Contra vero, qui aut existentiam aut providentiam DEI negabant, genusque humanum, siue æternum, siue ex terræ fertilitate, fortuito quasi, et promiscue ortum putabant, non poterant non falsa et fœda de legibus naturalibus, earumque fundamine asserere. hinc absurda illa opinio, quod istæ leges ex mutuo tantum metu originem suam traxerint, atque ad abolendam vitam violentam mutuo hominum consensu sint introductæ. EVRIPIDES igitur, si *DEVM non esse*, a, æra vero et terram fœtus gentium procreasse b sibi persuadere voluit, quid mirum, si ius nobis connatum in dubium vocavit, negavit, vim vero et iniustitiam legibus ab hominibus introductis reprimi dixit?

a, supra Cap. III. §. II. b, Cap. II. §. III.

§. III. Atque, quod complures iisdem erroribus imbuti erant, quid mirum, si vanum istud opinionis genus multis placuit? Sic apud PLATONEM a his gemella invenies, quæ HOSPES ATHENIENSIS in medium profert. Sic EPICVRVS, de quo cap. præced. dictum, de iure et iustitia docebat: *b: iustitiam nihil per se esse, verum in contractibus mutuis quibuslibet locis id fœdus niti, ut non ledamus neque ledamur. iniuriam per se malum non esse, verum in suspicionis metu id malum sium esse.* Cuius secta, quia apud Romanos multos habebat sectatores, hinc etiam apud HORATIVUM c legere est:

*iura inuenta metu iniusti fateare necesse est,  
tempora si fastosque velis evolvere mundi.  
nec natura potest iusto secernere iniquum,  
diivdit ut bona diversis, fugienda petendis.*

et

et, d:

debinc abstinere bello,

oppida ceperunt munire, et ponere leges,  
ne quis fur esset, neu latro neu quis adulter.

EPICVRI σύγχρονος e, erat PYRRHO, a quo SCEPTICI, qui  
vti de omnibus nihil decernebat, neque quicquam com-  
prehendi posse dicebat, ita nugabatur: *ἄδὲν ἔτε καλὸν ἔτε*  
*αἰσχρὸν, ἔτε δίκαιον ἔτε ἀδίκον. - νόμῳ δὲ καὶ ἔθει, πάντα τὰς*  
*ἀνθρώπους πράττειν: nihil aut honestum aut turpe, iustum*  
*aut iniustum esse: ceterum homines cuncta facere lege et con-*  
*suetudine.* cuius auditor assiduus, g, THEODORVS  
Cyrenæus, de quo cap. præced. *h*, dictus *arbeus*, sectæ  
que theodoreæ conditor *i*, quoniam *DIVINVM NVMEN*  
negabat, item asserbat *k* *μηδὲν εἶναι αἰσχρὸν φύσιν: nihil*  
*natura turpe esse.* Quibus CARNEADES etiam annume-  
randus, *l*, academiæ tertix conditor.

*a*, Plat. de legibus lib. X. edit. Basil. 1556. p. 605. *b*, Diog.  
Laertius lib. X. in fine, *c*, lib. I. Sermon. Satyr. III.  
v. III. seqq. *d* ibid. v. 104. seq. *e*, Diog. Laert. lib. VIII.  
sect. XVIII. *f* id. ibid. *g*, Suid. in Theodoro atheo.  
*h*. §. II. *i*, Suid. loc. alleg. Diog. Laert. Libr. II. Sect.  
VIII. *k*, Diog. Laert. loc. iam allegat. *l* Cic. Lib. I.  
de Leg. edit. Lugd. 1642. p. 308. Tom. II.

§. III. Plures nominaremus facili negotio, si opus  
foret. Sed quam cæci quidam gentiles tradiderant va-  
nam sententiam, in eandem seculo superiori incidit vir  
et multæ eruditionis laude clarus, et nomine Christi-  
ani vtens. id quod nunc etiam paucis exponendum venit.

CAP. V.

§. I.

THOMAS HOBBS, Malmesburiensis Anglus, anno  
C10 10C XXXX ob ingruens ciuile bellum ex Anglia  
in Galliam profectus, paulo post *elementa philoso-*

pbica de ciue Parisiis edidit, qui liber postea aliquoties recusus est. in eo autem rudem et quasi indigestam veteris illius matæologiæ molem disposuit, et curate elaborauit. hac enim ratione ius naturæ proponit, vt pro fundamento ponat hæc principia: I. *iuris naturalis fundamentum primum esse, vt quisque vitam et membra sua, quantum possit tueatur, a, deinde II. vnumquemque ius habere vtendi omnibus mediis, et peragendi omnem actionem, sine qua conseruare se nequeat. b. Hinc III. naturam dedisse uni cuique ius in omnia, hoc est, in statu mere naturali, licere vnicuique facere, quæcumque liberet. c. sed IIII. Ius omnium in omnia inutile, statumque mere naturalem propter mutuum metum et perpetuas suspiciones, nil nisi bellum esse, d. Exinde deducit primam et fundamentalem naturæ legem: quærendam esse pacem, vbi haberi possit, vbi non possit, quærenda esse belli auxilia. e. et hac vniuersali regula posita, ceteras naturales leges hoc ordine eloquitur: l. ius omnium in omnia non esse retinendum, sed iura quædam transferenda in alios, quædam vero retinenda esse. f. deinde II. pactis standum esse. g. porro III. neminem beneficium accipere debere, nisi animo nitendi, ne dantem dati merito pœniteat. b. IIII. vnumquemque debere se ceteris commodum prestare. i. V. oportere alterum alteri sumta cautione futuri temporis, præteriti veniam petenti et pœninenti concedere. k. VI. in vltione spectandum esse non malum præteritum, sed bonum futurum. l. VII. nemini licere, factis, verbis, vultu aut visu alteri ostendere, se illum odisse vel contemnere. m. VIII. vnumquemque natura alteri æqualem habendum esse. n. VIII. quemuis debere, quod iuris sibi postulet, idem etiam ceterorum concedere vnicuique. o. X. vnumquemque in iure aliis distribuendo, virique parti se æqualem prestare debere. p.*

XI. quæ dividi non possint, usurpanda esse communiter. q.  
 XII. quæ nec dividi nec communiter haberi possint, sorte  
 alicui adiudicanda esse. r. XIII. idque non tantum de sorte  
 arbitraria intelligendum esse, sed etiam de naturali, nempe  
 primogenitura, et prima occupatione. s. XIII. pacis me-  
 diatoribus præstandam esse incolumitatem. t. XV. oportere  
 utrumque de iure inter se disceptantium, submittere se ali-  
 cuius tertii arbitrio. u. XVI. neminem iudicem vel arbitro  
 esse debere, suæ ipsius causæ, x. XVII. iudici et arbitro  
 ex alterutrius victoria partis maiorem commodi ac gloria  
 spem non debere apparere. y. XVIII. Iudices et arbitros ubi  
 certa signa facti non appareant, debere secundum testes æquos  
 iudicare. z. XVIII. nullum cum iudice aut arbitro pa-  
 ctum debere fieri. aa. et tandem, quia leges naturales sunt  
 rectæ rationis dictata, ideo XX. omittenda esse ea, quibus  
 facultas rationalis destruatutur aut labefactetur. bb.

a, Elem. de ciue cap. I. §. 7. edit. Amstel. 1669. pag. 11. b. ibid.

§. 8. pag. 11. c. §. 10. p. 12. d. §. 11. et 12. pag. 14. et 15.

e. Cap. II. §. 2. pag. 21. f. §. 3. p. 22. g. Cap. III. §. 1. p. 37.

h. §. 8. p. 44. i. §. 9. p. 45. k. §. 10. p. 46. l. §. 11. p. 47.

m. §. 12. p. 48. n. §. 13. p. 49. o. §. 14. p. 50. p. §. 15.

q. §. 16. p. 51. r. §. 17. p. 51. s. §. 18. p. 51.

t. §. 19. p. 52. u. §. 20. p. 53. x. §. 21. p. 53. y. §. 22. p. 53.

z. §. 23. p. 54. aa. §. 24. p. 54. bb. §. 25. p. 55.

§. II. Finxit autor sibi statum mere naturalem, in  
 quo, iustitia nondum nata, homines exleges fuerint:  
 post vero ex metu mutuo, mutuoque consensu leges es-  
 sent conditæ. Igitur inter hoc doctrinæ genus, atque  
 illam gentilium matæologiam, aut nihil prorsus, aut pa-  
 rum admodum interesse, patet. Sed an HOBBSIUS  
 etiam siue *NVMINIS DIVINI*, siue prouidentia diuinæ  
 veritatem negauerit? item an genus hominum ex terræ  
 fer-

fertilitate promiscue et fortuito ortum putauerit? quæstio est difficilis. Et quantum quidem ad posterius: notum est: sub idem fere tempus *a*, in Gallia editum esse monstrosum dogma, de præadamitis, qui ante ADAMVM vixerint, ex terra non secus ac cetera animalia prognati, id quod Isaacus PEYRERIVS, siue vt alii scribunt, de la PERIERE, ex male intellecto dicto Paulino, *b*, comprobare voluit, *c*, quanquam, vt causatus est, non ex animi sententia, sed tantum exercitationis gratia. *d*. hinc forsitan eo facilius crederes, HOBBSIVM etiam similem in animo habuisse opinionem, præsertim cum ipse expressis dicat verbis: *e*: *redeamus iterum in statum naturalem, consideremusque homines, tanquam si essent iamiam subito e terra fungorum more exorti et adulti, sine omni vnus ad alterum obligatione.* Deinde quod prius adinet, eadem hypothesis cum doctrina de existentia aut saltim de providentia diuina neuiquam potest consistere: vnde colligeres forte, ipsum negasse eandem.

*a*, iam enim anno MDCCC XXXXIII. consilium de vulganda hac sententia inierat. vid. Sarrau. in epist. ad Salmas. edit. Araus. p. 74. *b*, Roman. V. 12. 13. 14. *c*, exercitatus de præadamitis in 4. edit. 1655. cap. III. p. 6. et 7. nec non system. theolog. ex præadamitorum hypothesi part. II. cap. X. p. 95. in 4. edit. 1655. *d*, vid. alleg. exercit. de præadam. in fine. *e*, c. VIII. §. I. p. 139.

§. III. Verum relinquamus hanc quæstionem in medio, probe gnari, quam difficile sit, atheismum contemplatiuum homini, nomen christianum vsurpanti, imputare. Sed nonnulla tamen annotemus, huc aliquo modo facientia: et primo quidem, quanquam HOBBSIVS omnes naturales leges dictis scripturæ sacræ confirmare stu-



studuit, *a*, addita etiam integra tractatione de religione:  
*b*: principia tamen, super quæ iuris sui ædificium con-  
 struxit, cum scriptura sacra, e diametro, quod dicunt,  
 pugnant. deinde vt illa principia non affirmasse, sed  
 posuisse tantummodo, videri possit, non tamen eo  
 modo, vel fingere debebat statum mere naturalem,  
 in quo homines sine vlla obligatione vixerint: siquidem  
 totam hominum gentem ex vno sanguine a DEO factam  
 agnoscere voluisset. *c*. Porro, si vel maxime ipsi nota a-  
 theismi inurenda non est, et quamuis etiam doctrina sua  
 et admiratores, *d*, et sectatores, *e*, inuenerit, hoc tamen  
 verum est, quod hæc doctrina neque existentiam neque  
 prouidentiam diuinam, neque denique a DEO ductam  
 humani generis originem alleget, aut requirat, et cetero-  
 quin inter vanam EVRIPIDIS aliorumque vanorum genti-  
 lium, et hanc sententiam ita conueniat, vt dubium sit, an  
 ouum ouo magis esse queat simile.

*a* Cap. III. a pag. 63. ad pag. 77. *b* Cap. XV. XVI. XVII.  
 XVIII. a pag. 355. ad finem. *c* quod ipse innuit in ver-  
 bis *S*. præced. not. *e*. *d*. inter quos fuere Samuel Sorbe-  
 rius, Petrus Gassendus, et Marinus Merfennus. vid. epist.  
 Gassendi et Merfenni ad Sorber. edit. Amstelod. 1669.  
*e* quorum præcipuus est Lambertus Velthuyfen Medicus  
 Belga. vid. eius dissertat. epistolic. de principiis iusti et  
 decori in Tom. II. oper.

§. III. Sed tandem ad scopum! atque nunc ipsam  
 huius opinionis vanitatem commonstrare instituimus:

CAP. VI.

§. I.

**P**incipio vanitatem et futilitatem istius doctrinæ, a  
 posteriori, quod dicunt, monstrabimus. Scilicet ex  
 commemoratis hypothesibus nequaquam veræ leges  
 fluunt.

fluunt. *Leges enim, statum hominum ab initio ex legem,*  
 licentiam agendi omnimodam, mutuam metum, bellum  
 omnium in omnes, et naturalem tantum hominis in-  
 stinctum, se suaque membra, vitamque suam conseruandi: et  
 luculenter perspicias, leges naturales exinde deriuari non  
 posse. Consideremus structuram legum huic fundamen-  
 to artificiosius ab HOBBSIO ac a ceteris superstructam,  
 vt res ad oculum pateat. deducit inde HOBBSIUS le-  
 gem fundamentalem: *quærendam esse pacem, vbi haberi*  
*possit: vbi non possit, quærenda esse belli auxilia.* Sed hoc  
 non consequitur in vniuersum. si enim homini tantum  
 sui ipsius conseruatio et salus quærenda, atque iustitia pro-  
 priis tantum commodis metienda est, tum mutuus me-  
 tus hoc solummodo imperat, vt illud quærat, quod sibi  
 maxime conducere videtur. Sic pax quidem quærenda  
 foret, sed tamen ideo non pax in vniuersum. interdum  
 enim vbi non cum multis, sed paucis aut vnico, non for-  
 tioribus, nedum æqualibus, sed inferioribus et timidis, res  
 foret, pax rescindenda, contra vero illud sequendum es-  
 set, quod maxime e re esse videretur. prout contra E-  
 PICVRVM ex ipsius hypothese deducit LACTANTIVS  
*a, sequentia: appetamus diuitias, vt omnes suauitates cape-*  
*re possimus: quæ si nobis desunt, ab iis qui habent, auferam-*  
*us clam, dolo, vi. Sapientis enim est, malefacere si et*  
*vile sit, et tutum.* Optime sane argumentatur ex istis  
 principiis LACTANTIVS. quodcunque enim et vile  
 foret et tuto peragi possit, illud natura iuberet: atqui  
 cædes, rapinæ, reliqua, sapissime post pacem initam tuto  
 fieri possent, et aliquam forte vtilitatem afferrent. Vn-  
 de etiam ipse HOBBSIUS quamuis homines singulos ad le-  
 ges

ges naturales alligare videatur, tamen ubi de rebus publicis diuersis loquitur, asserit, *b*, *statum ciuitatum inter se naturalem, i. e. hostilem esse, neque si pugnare cessent, idcirco pacem dicendam esse, sed respirationem, in qua hostis alter alterius motum vultumque obseruet, securitatemque suam non ex pactis sed ex viribus et consiliis aduersarii aestimet.* Quemadmodum etiam vitam *ἀσφαλίην*, i. e. institutum illud, quod priscis temporibus plurimi raptu viuere sucti erant, *c*, contra legem naturæ non fuisse statuit. *d*. Sic quoque apud PLVTARCHVM *e*, legimus, fuisse qui pudorem, iustitiam, iuris æqualitatem et humanitatem proficisci quidem a timiditate lædendi et iniuriarum metu, sed tamen ad eos non pertinere dixerint, qui viribus præstare possent. Et apud PLATONEM *f*, Hospes atheniensis τὸ δυνάστατον esse putat, si quis alterum illata vi vincere valeret.

*a*, diuinar. institut. lib. III. de falsa sapientia, cap. XVII.  
*b*, cap. XIII. §. 7. *c*, cuius rationem vid. ap Puffendorff. de iur. natural. et gent. lib. II. cap. II. §. 10. et fise Tom. VII. obseruat. Hallenf. ad rem literariam spectant. Obseruat. VI. historiam de latrocinio gentis in gentem. et obseruat. VII. moralitatem latrocinii gentis in gentem *d*, cap. V. §. II. *e*, Plutarch. in vita Thesei, fol. i. *f*, lib. X. de legibus p. 605.

§. II. Nec est, quod defensor matæologia obiceret: sed pactis standum esse, ideoque hominem teneri, pacem initam seruare. Quippe pactorum sanctitas ex pace penderet: spreta vero pace, et spe alicuius lucri affulgente, rumpi omnino possent. Si mei tantum emolumentum gratia de componenda pace consentirem, prout in statu naturali, ante pacta conuenta sola propria utilitas

D

men-

mensura iuris esset, *a*, neque alia quam mea utilitatis ratio ad fidem tuendam me obligaret, sane melioris fortunæ aucupandæ causa, iure fallerem fidem et violarem. Ita nimirum priscis temporibus, quam plurimi, qui supra recensitis erroribus imbuti erant, datam fidem utilitatis ergo iure frangi posse, autumabant. Ceu THEODORVS atheus, sapientem furto et sacrilegio sese ex usu temporis dediturum nugabatur. *b*, et ipse HOBBSIVS, quod antea dictum, ciuitates securitatem suam non ex pactis, sed viribus et consiliis aduersarii æstimare, docet *c*.

*a*, Hobbes. cap. I. § 7. *b*, Helych. in Theodor. p. 28. *c*, cap. XIII. §. 7.

§. III. Porro, quæcunque etiam leges ex prioribus thesibus deducantur, siue, de semetipso alteri commodum præstando, siue de beneficiis ingrato animo non assumendis, siue de iuribus quibusdam, in alios transferendis, et reliqua: hæc omnia ultra propriam utilitatem valere non possent: lege qua fundamentali sublata, totam reliquarum regularum structuram corruere necesse est.

§. IIII. Et sic tandem omnis iustitia rediret ad ciuilibus pœnæ formidinem, quæ a violandis pactis, et a rumpenda pace, retraheret malitiosos. Sed quid si pœna declinari, eludi, clamue peccando euitari posset? ea ratio sane ridicula est, qua huic argumento obuiam iuit EPICVRVS *a*, nempe, si vel maxime id, quod contra pacta, quis patrasset, aliquando lateret, incertum tamen esse, an vsque ad finem vitæ latere posset. *ἄτοπον*. quid enim, si lateret ad finem vitæ? quid si nihilominus periculum quis faceret? scite et elegantissime de hoc loco CICE-RO *b*: *quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet, nisi*  
*testem*

restem vel indicem? quid in deserto loco, nactus quem mul-  
 to auro spoliare possit imbecillum, atque solum? noster qui-  
 dem hic natura iustus vir ac bonus, etiam colloquetur, iuua-  
 bit, in viam deducet. is vero, qui nihil alterius causa facit,  
 et metitur suis commodis omnia, videtis credo, quid sit a-  
 cturus. quod si negabit, se illi vitam erepturum: nunquam  
 ob eam causam negabit, quod id natura turpe iudicet, sed  
 quod metuat, ne emanet, i. e. ne malum habeat. Ex qui-  
 bus omnibus clarum est, quod de supra dictis hypothesis  
 nequaquam derivari possint, leges naturales, quæ confi-  
 stere nequeunt, sublata doctrina, de existentia et provi-  
 dentia diuina, ita vt PLVTARCHVS aduersus EPICVRE-  
 OS c optime scripserit, facilius urbem sine solo condi-  
 posse, quam doctrina de DIVINO NVMINE sublata, ci-  
 uitatem coire ac constare.

a Diog. Laert. lib. X. in fine. b lib. I. de legibus edit Lugd.  
 1642. p. 309. c in libro aduersus Color. loc. supra alle-  
 gat.

§. V. Sed a priori etiam vanitas doctrinæ proba-  
 ri potest. Existit enim DEVS, Ens summum, infinitum,  
 independens, perfectissimum, huius vniuersi, et sigilla-  
 tum humani generis creator, conditor, rector. id quod  
 naturali etiam cognoscendi facultate, ideisque connatis,  
 quas CICERO, a, impressas in animis intelligentias inchoa-  
 tas vocat, hominibus adeo innotuit, vt non necesse sit,  
 altius iam rem repetere, et hanc etiam propositionem  
 demonstrare. atqui exinde consequitur: esse penes DEVM  
 summam et omnimodam auctoritatem in homines, probi-  
 bendi eque ac imperandi, quodcunque ipsi visum fuerit. De-  
 inde NVMEN DIVINVM ad certum aliquem finem de-  
 sti-

D  
 E  
 S  
 T



finasse omnia procreata sua, nemo negare potest, nisi qui stipes sit, et poenae indigeat. Sic vero NVMEN DIVINVM omnino volet, ut ad scopum diuinum referantur procreata, vnde praecipua naturalia. Tandem etiam corporis animaeque habilitates et opportunitates DEVS concessit hominibus, naturales item instinctus ingenerauit, rationemque indidit, qua DEVM eiusque auctoritatem agnoscere, habilitatem et instinctum naturalem persentire, scopum etiam diuinum intelligere possunt. et hoc modo leges naturales promulgatae, hominique connatae sunt.

a lib. I. de legibus p. 305.

§. VI. Atque ut exinde generalis lex naturae, amplitudine ceteras omnes complectens, fluit: ad quemcunque finem homo se a DEO destinatum esse, ex DEI cognitione, item ex naturali habitudine et instinctu, vi naturalis rationis intelligit, ad illum finem se totum componere, omnesque ex ista DEI intentione fluentes leges sanctissime obseruare, totus obligatus est. Ita opinionis euripidae epicureae et hobbesianae vanitas, leuitas, impietas hoc ipso luculenter patefit. haec iam sufficiant.


Iustitiam pacis hominum sine NVMINE nasci,  
 et trepidum vulgus iura dedisse sibi:  
 Vanus erat quondam nec non temerarius error,  
 æterni REGIS sceptrum tremenda negans.  
 Sed Tu sancte DEVS componis legibus orbem:  
 Nulla vnquam careat laudibus hora TVIS!



P 526




Jena, Diss., 1707 A-V  
X 2396257





34  
A. D.

DISSERTATIO M  
DE  
FVNDAMENT  
GVM NATVR  
CONTRA MATAEO  
EVRIPIIDIS  
IN ACADEMIA IE  
RECTORE MAGNIFIC  
SERENISSIMO IVENTVTIS PRINCE  
DOMINO  
GVILIELMO HI  
DVCE SAXON. IVL. CL  
ANGR. ET GVESTE  
ET RELIQVA  
AMPLISSIMI PHILOSOPHO  
BENEVOLO INDV  
AD D. APRIL. CIO I  
ERVDITORVM EXAMINI  
A PRAESID  
M. CHRISTIANO I  
ET RESPONDENT  
IO. AVGVST. SIE  
DOEBLENSI MISNICO. S. T  
IENAE  
LIT. VVERTHERIA



101

